



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

8. Cognitio & amor sapientiæ.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)



III. Domine Deus omnipotens, si vis, potes me mundare: si vis, potes me illuminare, & amore succendere, ut diligam Te toto corde!

## P A S S U S VIII.

### Cognitio & Dilectio Sapientiae DEI.

#### T E X T U S.

*Sapientiam Dei, præcedentem omnia, quis investigabit? Radix sapientiae, cui revelata est? Et astutias ejus, quis cognovit? Eccli. c. 1. 6.*

#### Cognitio.

I. **T**U Domine, lumine infinitæ sapientiae tuæ, clarissimè cognoscis & comprehendis omnia. 1. Essentiam tuam infinitam. 2. Personas divinas, earumque processiones. 3. Omnia attributa tua & perfectiones. 4. Omnia alia possibilis. 5. Omnia præsentia, præterita & futura. 6. Omnia sub quavis conditione eventura. *Atque hæc omnia*



omnia scis à te ipso, non ab alio; non enim indiges instructore, consiliario, libro, vel idea. Tu primus Inventor omnium artium & scientiarum. Verè, *Domine, Tu omnia nôsti.*

II. Tu secundùm infinitam sapientiam tuam omnia in mundo & cælo ordinas, ac disponis, in certo numero, pondere & mensura: omnibûsque creaturis tuis modum, ordinem, & numerum statuis, sicut & pondus inclinationum suarum, & mensuram perfectionum.

III. Tu non secus ac mare infinitum & redundans sapientiæ, in creaturas tuas influis: illisquæ omnis sapientiæ fons est & scaturigo, in Angelis præsertim & hominibus: quin & à Te profluit tenuis illa cognitio & industria, quæ in animalibus relucet.

### *Dilectio.*

O stupenda Numinis supremi sapientia! cui omnia patent, omniâque nuda sunt & aperta: cui omnia præterita & futura sunt præsentia: cui omnia temporalia sunt æterna; omnia insensibilia & mortua vivunt: omnia, quæ non sunt, existunt. *A, a, a Domine Deus, nescio loqui, quia puer ego sum: & tantum sapientiæ lumen (veluti noctuæ Solis radii) mentis meæ oculos re-*  
ver-



verberat. Illucesce, obsecro, & tenebras meas discutiens, velut per rimulam, radium in cordis mei penetralia inmitte; ut in lumine tuo ambulans, perfectè vivam, & diligam Te: obligationi meæ satisficiam, atque in sanctitate & justitia omnibus diebus vitæ meæ tibi serviam ac placeam.

*Aspirationes.*

I. O altitudo divitiarum sapientia & scientia Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia ejus, & investigabiles via ejus! Ad Rom. c. II. v. 33.

II. Cognoscam Te, Domine, Cognitor meus! Diligam Te, Domine, virtus mea! Te sapienter amor sapiens diligit. S. Aug. solil. c. I.

III. O infinita sapientia, da mihi veram sapientiam, & scientiam sanctorum; ut Te in veritate cognoscam, ac toto corde diligam.

P A S S U S IX.

Cognitio & Dilectio Bonitatis DEI.

T E X T U S.

*Ego ostendam tibi omne bonum.*  
Exodi c. 33.

Cogni-